

## 553 Dis. XV. Part. II. ana rat: sit fōa informans. 554

afflīstens non dēpendet à paruitate, aut majoritate materiae; nauta enim potens mouere magnam nauim potest à fortiori mouere paruam nauim, at verò anima rationalis idēo non potest mouere motu locali corpus pueri; quia cùm sit forma informans, debet expectare, donec dispositions conuenientes insint materia ad motum localem, quā dispositions cùm non reperiāntur in corpore pueri; inde fit, ut corpus pueri non possit de se moueri localiter.

Faceat tamen ad has rationes posse aliquatenus responderi, idēo non existimō eas demonstratiūas, valde tamen sunt efficaces: Alias quasdam afferit D. Thomas, & Heruāus, quas tamen insufficiētes ostendit de Bacchone lib. 1. quodlib. quest. 1. art. 1. & idēo eas missas facio, & concludo cum Ochamo, quod licer secundū fidem, & veritatem anima rationalis sit forma informans, attamen id demonstrari nequeat; nam esto experiamur in nobis intellectiōes, respondet tamen Auerroēs illas causāt in nobis à forma extrinsecū applicatā nostrā cogitatiūa. Melior verò ratio ex opinione Ochami est ea, quā probatur, quod alioquin homo non distinguetur à brutis, nisi distinguetur ab illis per animam rationalem; vnde formatur hoc argumentum: Illud est forma informans in homine, per quod homo distinguitur à brutis: sed non distinguitur à brutis, nisi per animam rationalem, ergo anima rationalis est forma informans hominis.

*Obj. primō.* Obiectio primō: Forma per se subsistens adueniens alteri aduenit vt forma afflīstens, sicut Angelus, quia per se subsistit, adueniens cœlo dicitur esse forma afflīstens cœli: sed anima rationalis per se subsistens aduenit alteri, nempe corpori, ergo aduenit vt forma afflīstens ipsi corpori.

Respondeo maiorem esse veram de forma subsistente incommunicabilitē, anima autem rationalis per se quidem subsistit, id est per se, attamen non subsistit incommunicabilitē; aliud est enim subsistere, & aliud subsistere incomunicabilitē, Angelus autem adueniens cœli iam de se dicitur subsistere incommunicabilitē, vnde non est par ratio de eo, ac de anima rationali.

*Obj. secundō.* Obiectio secundō: Illud non est forma informans, quod non habet proportionem cum materia: sed anima rationalis non habet proportionem, aut conuenientiam cum corpore; quia est rationalis, & spiritualis, corpus verò est materialis, non est autem conuenientia rei spiritalis ad materiale.

Respondeo concessā maiori negando minorem; est enim proportio vniōne, & coniunctionis, licer non sit proportio entitatis: & dum dicitur: non est proportio rei spiritalis ad materiale, concedo de proportione, & conuenientia quoad entitatem, nego verò de proportione, & conuenientia quoad vniōnem, & intimam veriusque penetrationem; nam ad hoc creatur anima, vt vniatur corpori, ipsumque informeret, & ad hunc etiam finem producitur corpus, vt vniatur anima, & ab ipsa informeretur.

*Resolutio secunda.* Non modò contra fidem est intellectum admittere Auerroīticū, sed

etiam contra Philosophiam: quod sit contra fidem, patet, nam alioquin dicendum fore animam rationalem non esse formam hominis, item animam rationalem fore mortalem, nempe ipsam cogitatūam, quā ex Auerroē est vera forma hominis.

Esse verò contra Philosophiam sic probat de Bacchone: Si intellectus possit se facere priam potentiam in quolibet homine, demonstratio illa ex secundo de anima textu 24. quā Aristoteles probat animam esse actum corporis, non valet, sed est valida, ergo &c. minor patet: maior verò probatur; Animæ est id, quo intelligimus, sentimus, vivimus, & mouemur, ergo anima est actus & forma corporis: hac omnino nihil aliud volunt, nisi quod cùm anima sit forma corporis, & anima sit id, quo intelligimus, necesse sit dicere id, quo intelligimus, nempe animam intellectuā informare corpus, proindeque non se facere propriam potentiam in quolibet homine, idque ab extrinseco.

Confirmatur: Citato loco Aristoteles ex eo probat animam sensitivam esse formam corporis, quia est id, quo sentimus, ergo a pari illud, quo intelligimus, est vera forma hominis, in quantum homo est.

*Secondo.* Secundo probatur resolutio: Ideo motus cœlorum actuē non attribuitur cœlis; quia illa motione actuē causatur ab intelligentijs, vnde fit, vt intelligentia dicantur mouere cœlos, ergo ex opposito, cùm nobis attribuitur ipsum intelligere, sequitur, quod intelligere elicatur a nobis, non verò ab intellectu illo Auerroītico; nec enim dicimus: ille intellectus Auerroīticus intelligent, aut habet scientiam.

*Tertio.* Tertio: Vnum ex principalibus argumentis Auerroīs est, quod non possit comprehendere, quomodo anima rationalis spiritalis possit vniuersi corpori: quare pro forma hominis posuit cogitatūam mortalem: ex altera vero parte videbat Auerroēs hominem elicere actiones spiritales, scilicet intellectiones, & volitiones, & ob id adiunxit illam Phantasticam intelligentiam sese applicantem nostrā cogitationem, facientemque hominem intelligere ab illo, quod informaret, aut daret esse homini: sed fundamentum Auerroīs nullum est; tam tam difficile est capere, quomodo illa intelligentia vniatur cogitatiūa, & Phantastibus, cùm sit spiritalis, & cogitatiua materialis, quā quod forma spiritalis vniatur corpori; tam enim est difficile capere vniōnem in esse intelligibili rei spiritalis, & materialis, quam vniōnem eiudem rei spiritalis cum materiali in esse reali, illud autem primum rectè intelligit Auerroēs, ergo potuit intelligere secundum.

*Quarto.* Quarto: Quando aliqua duo essentiale habent ordinem, si admittatur secundum ex illis inesse alium, debemus quoque dicere inesse primum: sicut si admittamus in homine actum ridendi, debemus quoque in eo admittere potentiam ridendi, cùm actus ridendi essentialiter dependeat à potentia ridendi: ita in præsenti, quandoquidem admittit Auerroēs in nobis esse actum intelligendi, & intellectiōem, quā intelligimus, esse intellectiōem, debet quoque admettere potentiam intelligendi & subiectū illius potentiae.